

Q. D. B. V.

DE

INTERPRETATIONE  
NOVI TESTAMENTI

EX

PATRIBVS APOSTOLICIS  
ISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

BENIGNO PHILOSOPHORVM INDVLTV  
IN

ACADEMIA LIPSIENSI

D. XXIII. MART. A. R. S. clō 1ōcc xxvi

H. L. Q. C.

LACIDO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

SIGISMVNDVS BASCHIVS

JVLIQVRGO SILESIVS

R E S P O N D E N T E

JOANNE JACOBO RESCHIO

RAVENSBVRGO SVEVO.

Coll. diss. A  
5, 39

LIPSIÆ

LITTERIS ROTHIANIS.

a. V, 39.

~~12~~

Q. 1. 1. 1.

INTERPRETATIONE

NOVI TESTAMENTI

PATRIBUS APOSTOLICIS

ASSERTATIONE

SEBASTIANO THOMASIO



ACADEMIA

D. XII. MDC. LXXI.

PACIDO ERV. THOMASIO

SIGISMUNDUS BASSGILIUS

LEONARDUS SILLEIUS

EDWARDUS DAVIES

JOHANNES ROBERTUS

RENESSANTINO

INTERPRETATIONE

INCLVTAE  
REIPVBLICAE  
VRATISLAVIENSIS  
PRAESIDI. ILLVSTRI  
PATRIBVSQVE. CONSCRIPTIS  
GENEROSISSIMIS. MAXIME. STRENVIS  
CONSVLTISSIMIS  
GRATIOSIS. SVARVM. LITTERARVM  
NVTRICHS  
MAECENATIBVS. SVMMIS  
DISSERTATIONEM. HANC. ACADEMICAM  
IN. SVI. VLTERIOREM. COMMENDATIONEM  
DEMISSE. OFFERT  
SIGISMVNDVS. BASCHIVS

VESTRVM QVOD ORNET NOMEN HASCE PAGELLAS  
FACTVM PATRONI AVDACIVS TAMEN TRADO  
ILLAS CLIENTVM MORE DEBITI TESTES  
PRECOR QVIDEM DEXTRA FAVENTE SVMATIS  
QVOD HIC CAMOENAE PAVPERES SACRANT DONVM  
MAGIS SED ISTVD ORO TARDIVS DANTEM  
NE CVM SVO MVNVSCVLO REPELLATIS  
ILLVD IVBET SPERARE PRISCVS ADFECTVS  
ET HOC VETAT TIMERE VESTRA NATVRA  
INTERPRETES HIC SISTIMVS NOVI PACTI  
QVO SENSU GRATIAE MENTIS EXPLICENT NOSTRAE  
LARGA DIV BENIGNITATE DEVINCTAE  
ET GRATIAM PORRO PIIS PETANT MVSIS  
QVAE NVNCVPANT DEVOTA NVMINI VOTA  
ILLVSTRIS VT SENATVS VSQVE PRAESENTEM  
IN REBVS ARDVIS OPEM DEI SPECTET  
LAETAMVR INDE QVOD SENES LOCO NOSTRI  
INTRENT SENATVM ET CREDIMVS PATRES SANCTOS  
PLACERE PATRIBVS BVDORGIS AVGVSTAE.



DE  
INTERPRETATIONE  
NOVI TESTAMENTI  
EX PATRIBVS APOSTOLICIS  
DISSERTATIO PHILOLOGICA.

§. I.



Ovi foederis libros interpretaturō non mediocrem linguae graecae peritiam sufficere, omnes illi concedunt, qui curatori paululum studio diuina oracula ita scrutantur, ut vocum dubiarum significatus ex scriptoribus profanis, vel eruant, vel confirment. Ultra sermonem vero non exsurgit, neque satis interdum procedit ille labor: dum in sacris litteris verba saepius occurrunt, quae in gentilium scriptis plane exulant, certe suo pondere, et sublimiori sensu destituuntur. (a) Siue enim N. T. scriptura fi-  
A dei

dei arcana pandat; siue coctus sacri instituta explicet: utrobique paganos harum rerum expertes nequicquam in subsidium vocamus. Saltim audiendi prius videntur veteres nostrae religionis scriptores, ii maxime, quibus licuit esse tam felicibus, ut Christi legatorum partim comites, partim discipuli fuerint, Apostolicorum nomen inde nacti. (b) Cui sententiae penitus expendendae praesentem opellam ita destinauimus, ut primo paucula de ipsis Patribus adferamus; postea usum eorum in Interpretatione N. T. selectis exemplis vindicemus.

(a) Etsi humanitatis studia aduersarios et osos suos omni tempore experta sint, quibus si non vires, animus minimum erat, eadem a sanctiori disciplina arcendi. Suis tamen praesidiis, patronisque non omnino carebant, qui detecta hostium ignorantia, bonas artes, studiis sacris inseruituri, decori suo restituebant, et ita cordatorum plausus merebantur. Prima statim religionis christianae aetate, non paucos, ut profanorum lectione suos interdicerent, pius quandoque feruor sollicitauit. Satis pro imperio! *Constitutionum Apostolicarum auctor* christianos ab omnibus libris gentilium, utpote a diabolo excogitatis, auocat *libr. I. c. VI. p. 204. f. apud Cotelerium*, dissimillimus hic et apostolis, et cuius nomen mentitur, Clementi. Illos enim auctores ethnicorum legisse, diui Pauli exemplo docemur, *Actor. XVII. 28. Tit. I. 12.* Hic vero diuinam veritatem ex historia profana egregie confirmat *Epist. I. ad Corinthios cap. XV.* Ἰνα δὲ καὶ ὑποδείγματα τῶν ἐθνῶν ἐνέγκωμεν. Illud quidem in eum sensum rapi nolumus, ac si iis velificemur, quibus nihil tam augustum, et tam venerabile in sacris nostris videtur, quod non ex gentilium superstitione illustrare, aut magis obscurare et confundere inani ostentatione satagant. Laudamus potius sanctos Patres, qui huic malo, suo jam tempore propullulanti, grauissimis monitis obicem ponebant, moderationem vero, frugalitatemque in hisce studiis commendabant. Praeclare hic imprimis meruit BASILIVS M. in sermone ad adolescentes, de legendis gentilium libris, quem *Tom. II. p. 173.* Operum Illius exhibet JULIANVS GARNIER. Nos quidem ita sentimus, aevo sequiori huic  
prae-

praesertim scriptas esse a Patribus commonitiones. Vix enim erat, unde et sibi, et suis adeo cauerent sancti viri; cum ardentissimus Christi amor utrorumque pectus adhuc inflammaret, et a nimia in paganos propensione retraheret. Contra ubi adfectus iste paulatim tepeat, et apud multos tantum non frigescat; non est, ut miremur, hosce gentiliū scripta eo usque deperire, ut felices se credant interpretes, cum dicta N. T. luce meridiana clariora, in comta ramentorum ex paganis farragine obfuscent. Non dici potest, quantam inuidiam creauerit praeposterus hic labor elegantioribus studiis. Sicut enim illi, quibus, ne res sacra detrimentum caperet, curae erat, et cordi, merito de contenta religione conquerebantur: ita non deerant, qui nimium irati, innocentissimis litterulis, ad Cereris generum, eas una cum amicis relegandas, dira sententia, decernerent. Horum inuectiuam parum morabantur humanioris scientiae fautores: priorum potius iustissimae contestationi morem faciles gerebant, et parcius modestiusque gentiles in N. T. interpretatione consulebant. Imo ne quis eorum ad primam licentiam redeat, luculenta dissertatione de eo, quod iustum est circa litterarum s. ex priscis auctoribus interpretationem cauit vener. JO. LAUR. MOSHEMIUS *Tom. I. Observ. S. p. 1. seqq.*

(b) Patres Apostolicos, si quis cum N. T. contulerit, incommoda, quae explicantem illud ex gentiliū scriptis circumveniunt, declinabit. Quae forte causa non paucis fuit, suas ad foedus N. commentationes sic instituendi. Neque enim adeo sumus suffeni, ut credamus, nos hunc interpretandi modum primos tentasse. Sua iam aetate id in mentem venit EVSEBIO, qui epistolam ad Ebaeos, ex ea, quam Clemens R. Corinthiis inscripsit, illustrandam suadebat, *H. E. lib. III. c. 12. § 38.* cui consilio obsecuti, largissimum eius et in ceteris N. T. libris usum deprehendimus. Equidem et hac via alios iam incessisse, lubentes concedimus: tantum autem aberat, ut illud nostram, si qua dicenda, diligentiam sufflaminaret, ut potius ordinaret eam, instrueretque, ne quae alii iam occupassent, repeteremus. Interim in negotio tam arduo infirmitatis nostrae conscientia tenemur, veniam ea propter meriti, sicubi ita peccauimus. Scilicet Patres Apostolicos in adminiculum interpretationis N. T. lectitavimus ipsi, parum solliciti, quid inde in usus suos ante conuerterint viri eruditi. Quod si vero numerum inire volumus eorum, qui Patres in deliciis habuerunt, plures inueniemus, studiis hisce ideo deditos, ut castissimos primae ecclesiae ritus exponant: aut quod de industria reliquerint aliis residuum, aut quod hunc solum ex patri-

bus usum sibi promiserint, uti Dallaei sententiam de usu patrum suam facit JO. CLERICUS *Epist. Critic. IV. p. 96. f.* Pauciores longe fuerunt, qui loquendi modos Patribus familiares ad normam sermonis, quo scriptores diuini utebantur, exegerunt, et num lucem quandam difficilioribus locis adfunderé possint, cogitarunt. Vix unus et alter hac opera consulto defuncti sunt, cum plerique casu tantum suas N. T. expositiones Patrum dictis iuuarent; illic forte, ubi eos profanorum suppetiae deficiebant. Omnium vero et industriam, et expectationem vicit vir laboris patientissimus, IO. CASP. SVICERVS, qui *Theaurum Ecclesiasticum* per plures annos collectum Amstelodami 1682. edidit. Vnicum, quod hic desideres, et alibi quoque frustra quaeras, vel breuissima institutio est: quale, et quantum auxilium N. T. interpres ex Patribus graecis expectari queat? Apostolicis ea in re primas deferimus, exemplorum inductione postea illud declaraturi. Quae enim HENRICUS WOTTONUS *in diffusa praefatione Epistolis Clementinis Cantabrigiae 1718. editis de Usu Patrum, praecipue Apostolicorum* disputauit, ad historiam dogmatum propius spectare videntur.

## §. II.

**S**imulac Seruator cum immenso sui desiderio ad Patrem rediisset, non deerant viri sancti, qui discipulis eius iuncti, partam per Christum salutem omnibus declararent. Eorum tamen et modestia, et sequentis aetatis incuria effecit, ut res ab iis praeclare gestas fere ignoremus. (c) Totum illud, quod de plerisque relatum legimus, nomen eorum est. Defectus hic, utut maximus sit, tamen nobis ita supplendus videtur: adsumimus, quod omnes largiuntur, doctores istos munus gessisse cum Apostolis commune, auctoritate quidem maioribus. Inde fluit: eos Christi mortem exposuisse per omnem vitam, et in morte saepius violenta vitam Seruatoris demonstrasse. Ex ingenio haec tantum dicta esse, nemo sibi persuadeat. Abunde euincunt rei veritatem, virorum, quos ex Apostolicis penitus nosse

nosse



nosse datum est, scripta & fata (d) Barnabae, Hermae, Clementis, Ignatii, Polycarpi. Testes hi sunt locupletissimi, digni sane, qui a nobis audiantur.

(c) Concinne non minus, quam eleganter, ea, quae ad Patres Apostolicos pertinent, ex antiquitate collecta, exhibet B. THOMAS ITTIGIVS in elaboratissima dissertatione, quam bibliothecae Patrum Apostolicorum a nobis ubique citatae praemisit. Insignis eorum numerus nobis persuadet, fuisse ex illis, qui litteris consignarent sua, et posteritati concrederent: licet aetatem, si pauca mox adleganda exceperis, non tulerint. Nemo enim tam credulus erit, aut si maus, iniurius in viros optimos, ut scripta omnia illis tributa adsumeret; cum nihil istis antiqui insit, nisi Patrum nomen: cetera peruersas impostorum artes spirent, qui centunculis hisce ad fallendos incautos utebantur.

(d) Institutum nostrum penitus turbaret, si animus esset vitam horum Patrum enarrandi. Immo non parum impudentiae dedisse videremur, intempestiva diligentia ea transcripturi, quae GVILIELMVS CAVEVS, JOANNES PEARSONVS, NICOLAUS LENOVRRIVS, JO. BAPT. COTELERIVS, alii, spissis voluminibus de iis commentati sunt. Illud tantum de ordine, quo supra recensuimus viros sanctos, addimus. Pressimus scilicet in eo vestigia Cotelerii; hunc tamen, si quem offenderet, ita immutamus. Primum locum merito concedimus CLEMENTI, romano antistiti, cujus nomen in coelis inscriptum esse Paulus adfirmat *Phil. IV. 3.* secundum IGNATIO, Praefuli antiocheno; tertium POLYCARPO, amicissimis olim iam e discipulatu in S. Johannis disciplina doctoribus: quartum HERMAE: quintum BARNABAE. Istos enim Triumviros coetus facer probe nouit: posteriores non plane. Equidem nec dignitatis splendore, nec nominis gloria praeclaros homines metimur: quid enim de piscatoribus fieret? Vnicuique tamen ignoto adfurgere, et doctoris antiqui titulum ambienti statim credere; hoc profecto Christi disciplinam, quae spirituum examen urget, euerteret, et priscas multorum fraudes pingeret. Sic de Herma et Barnaba eruditorum olim plurimi, pauciores hodie opinati, in tantam suspicionem utrumque adduxerunt, qua eos amici vix liberarunt. Quamuis litem nostram hancce non faciamus; ille tamen tutiorem sententiam elegerit, qui in rebus ab aetate nostra remotissimis mitius iudicet. Equidem Scriptura S. loquitur de meritis Barnabae

bae in actis saepius laudati; num autem dicta ibi Auctori Epistolae conveniant, illud non sine causa ambigunt. Qua in re Hermas felicior est, cuius Paulus tantum *Rom. XVI. 14.* mentionem iniicit; quem alium non, nisi Pastoris auctorem esse, vener. JO. ALB. FABRICIUS putat, *Bibl. Gr. Lib. V. c. I. p. 7. f.* Insigne eius inter Christianos nomen est, ut inde miremur, cur optimum Hermam Judæum declaret CAMPEG. VITRINGA in *Hypotyp. H. S. p. 229.* Christi enim placita sequitur, quod ex scriptis eidem tributis legenti patet. Si vero Hermam, ante, quam Christo nomen dabat, circumcisionis sacramento initiatum statuit vir magnus, de eius gloria non detrahit; autem illud satis demonstrari possit, addubitamus.

## §. III.

Quo omnes doctorum partes explerent Viri Apostolici, non sui tantum esse officii credebant, salutarem doctrinam auditoribus explicare; sed multas easque graves causas habebant, quae eos ad scribendum invitabant. (e) Ita enim contra quasvis corruptelas et fidei, et morum suos praemuniebant, perpetuum cum diuinis litteris consensum testati. Illis insimul coelestem veritatem firmiter insinuabant, gentilibusque hujus copiam faciebant: siue hos ad verum Numinis cultum perducerent; siue ansam ignorationem aliquando suam iudici obtendendi praescinderent. Gloriam studio si quis Patres ad hoc negotium excitatos existimet; iste, ut mitissime dicamus, nunquam eorum scripta attentus inspexit, et ad antiquitatis normam exegit. (f) Miram ibi conspicis in dicendo simplicitatem, quam nullis lenociniis infucant; quamvis et gravitate, et dulcedine temperent, ubi vel impios redarguunt, vel fratres admonent. Interim quantiuis pretii sint insignes pietatis eorum reliquiae; humanam sortem non superant: hinc naeuos subinde  
immi-

immistos habent, qui fatis produnt, non adfuisse, ac olim diuinis Scriptoribus, peculiarem Sancti Spiritus instinctum. (g)

(e) Ad duo momenta maxime redeunt, quae de scriptis Apostolorum Patrum cum N. T. hic collatis dicemus. Vnum est, seruatas esse in hunc diem aliquot CLEMENTIS R. IGNATII et POLYCARPI litteras, inde conficitur, illas iuste censerī antiquas, et circa finem primi et initium secundi seculi exaratas; alterum inuerso ordine procedit: haberi scilicet quaedam scripta antiqua, et apostolica fere aetate confecta; unde discimus, condonandum esse viris doctissimis, qui, ea, spretis tantisper criticorum minis, HERMAE et BARNABAE, doctoribus tum celebribus, tribuerunt. De singulis nunc dispiciemus. Clementis R. habemus unicam ad Corinthios Epistolam, qua dissidium in coetu sacro ab eius ministris suscitatum componere conatur. Eam passim ferae manus opera auctam euicerunt harum rerum periti; quam interpolationem magis ex confusione nostri, cum Alexandrino Clemente, ac ex librariorum avaritia, cum CLERICO *Art. Critic. Part. III. Sect. II. c. V. §. 12.* deriuamus. Adici so et huic epistolae sermonis facti mediocris portio; quam tamen et nos cum aliis ordinis gratia posterioris nomine aliquoties citauimus. Dignior saltem videtur S. viro labor iste, aequae ac alia scripta, ab iis tributa Clementi, quorum intererat, Viros Apostolicos in societatem erroris adduxisse. Sequitur S. Ignatius, cuius habemus VII. Epistolas, quas in itinere romano, cruentum de Christo testimonium daturus, Smyrnae ad Ephesios, Magnesianos, Trallianos, Romanos, Troade ad Philadelphenos, Smyrneneses, eorumque Antistitem, Polycarpum, dedit: cuius de litteris hisce iudicium nostrum facimus, ad *Philippenses* scribentis .c. XIII. p. 384. Περιέχουσαι πίσιν καὶ ὑπομονὴν καὶ πᾶσαν εὐνοδομήν τὴν εἰς κύριον ἡμῶν ἀνήκεσαν. Continent litterae S. Ignatii fidem, patientiam, et omnem aedificationem ad Dominum nostrum pertinentem. Plura, quae huc spectant, edisseruit Amplissimus BAYERUS noster, in *Exercitationibus duabus de S. Ignatio, Confessore & Martyre.* Colloquium morituri doctoris cum Traiano etiam adduximus. Non enim persuasit nobis CASIMIRVS OVDINVS *de Scriptor. Eccl. Tom. I. p. 18.* totam rem esse fabulam, et Ignatium lecto decumbentem obiisse. Citatam modo Polycarpi Epistolam suo iure huc referimus. Insignem auctoris in Christum fidem spirat; quam non tantum aliis suasit: sed et ipse

ipse

ipse egregie testatus, diuinae veritati profuso sanguine subscripsit. Parentatum est sancto viro lacrumis coetus sacri per totam fere Asiam. Neque indignum fuisse hac pietate Polycarpum, euincit *Smyrnensum de Illius morte Epistola*, a nobis passim laudata.

(f) Hermae Libros III. et Barnabae epistolam ab antiquitate, non item ab auctoribus commendare in nos suscepimus. Hermas aetatem, qua vixit, ipse duobus locis notat: Clementem enim adducit, qui libellum in exterarum civitates mittat, *Lib. I. Vis. II. p. 791*. Et de fidelibus loquitur, feras bestias, flagella, carceres, cruces expertis *l. c. Vis. III. p. 794*. Hoc de vexatione Domitiana, cum Christianorum sanguine seculi primi finis maderet, intelligimus. Qui enim de sequentibus in Ecclesia turbis explicant, aut negligunt, aut nesciunt IRENAEI, seculi II. scriptoris testimonium, quo Hermam sub scripturae nomine citat, *Lib. IV. adu. haereses c. 3*. Ante decursum itaque aevi apostolici scripsit Hermas. Insecutus eum statim est Barnabas; quamquam enim ex cap. XII. p. 42. discamus, excisas iam fuisse Solymas: haec tamen ita scribit, ut suo tempore accidisse narret; immo tentari a gentilibus restitutionem innuit, sub initium nempe seculi. Qui locus illi minimum concedendus est. Nam sub finem illius frequens Barnabae est apud CLEMENTEM A. memoria *Libr. II. Stromat. p. 273. & 410*. alibi. Quis ergo antiquos hosce Scriptores a collatione cum N. T. arceat? Licet crebriorem adlegationem impediverint in Herma lacunae graeci textus in editione fabriciana subinde restituti, quam ex *Tom. II. Codicis Apoc. N. T. p. 774. f.* hic adduximus: in Barnaba vero suspicio, alteram epistolae partem a cap. XIII. ad finem esse alterius auctoris, in STEPH. LE MOINII *V. S. p. 44. f.* hic citatis, ubi explicat MStum Corbeienfe.

(g) Ad examinandos Patrum Apostolicorum imprimis naevos, duas cautiones nostras adponere placet:

I. Scriptores, qui hostes sibi, et aliis atroci impetu minantes vident, animumque habent perpetua futuri aevi meditatione completum, nec ordini ubiuis student, nec vocum delectui. Haec si ad ea loca adplicamus, quae in Clemente, Ignatio, et Polycarpo critici sollicitant, lis intentata forte euanescit.

II. Scriptores, qui figuratum dicendi genus amant, ingenio saepius plus iusto indulgentes, robur argumentandi negligunt; quod vero ex rerum grauitate facile suppletur. Ita Hermam et Barnabam malumus excusatos, ac eos hominum rudium loco habere.

§. IV.

## §. IV.

**A**Vt vehementer fallimur, aut cordatioribus persuasum est, non optime illos sibi consulere, qui Patribus parum statuunt pretii, quasi nihil, praeter pietatem, in illis esset, quod nostram attentionem concitaret. Qui ita opinantur, illis opponimus praeclarum eorum in scrutanda Scriptura adplicandaque studium. (h) Modo hoc ponderauerint, operam nostram non male collocatam credent, quod ad enarrationem noui foederis feliciter instituendam, paucula speciminis loco ex viris Apostolicis attulimus. Breuitati hic litantes, istud nunc euincemus: dictionem virorum Apostolicorum non omnino abluere ab ea, qua sacros libros consignarunt diuini Auctores, eademque hanc saepius explicari. Declarabimus hinc, quomodo doctrinae interpres a Christo et discipulis inuulgatae, nostris frui possit? Denique docebimus, ipsi disciplinae tunc in coetu christiano receptae Patrum scripta insignem lucem foenerare. (i)

(h) Vt hic optimam Patrum causam agamus, adsumimus illud, quod nemo citra iniuriam negauit unquam, fuisse Apostolicos homines Christo deditissimos. Ex hoc enim gratiae statu elicimus indolem intellectus, coelesti lumine impleti, emendationemque voluntatis, amoris diuini sensu adfectae. Concedunt haec aduersarii, illud potius urgentes: destitutos fuisse Patres externis interpretandi mediis. Videamus, quo iure huius ignorantiae arguantur nostri. Requiritur ab interprete, linguarum, rituumque notitiam. Et utrumque in Apostolicis inuenimus. Loquimur de N. T. cuius sermonem graecum egregie callent, et terse in suis scriptis exprimunt. Non equidem nescimus, quae de neglecto dicendi nitore obiiciunt; sed etiam de diuinis Scriptoribus ita criminabantur gentiles, et clanculum passim Lucianus: quibus profanis hominibus quis frigidam suffunderet? Rituum in coetu sacro obmiorum non erant expertes: ipsi grauissimo docendi munere functi, in-

B

stituta,

stituta, ad quae Christus, et legati eiusdem adludunt, ante oculos habebant, considerantes infimam Iudaeorum mores et gentilium superstitionem. Exigunt amplius attentum in S. S. studium, quo omnino vacabant apostolici; neque sibi aliquid credi postulabant, nisi adductis divinissimi Spiritus testimoniis. Hinc rationum suarum confirmationem petunt ex perpetua cum Apostolis consensione. Sic CLEMENS *ad Corinthios c. XLVII. p. 80.* Ἀνελάβετε ΤΗΝ ΕΠΙΣΤΟΛΗΝ τῆ μακαρίῃς ΠΑΥΛΟΥ. Epistolam beati Pauli in manus sumite. IGNA'TI-VS *ad Ephesios c. XII. p. 34.* Ἐξὲ Παύλου συμμύσαι, ὅς ΕΝ ΠΑΣΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ μνημονεύει ὑμῶν. Pauli Collegæ estis, qui tota epistola memor vestri est. Et POLYCARPVS *ad Philippenses c. III. p. 374.* Παῦλος ἐδίδαξεν ἀκριβῶς καὶ ἀπὸν ὑμῖν ΕΓΡΑΨΕΝ ΕΠΙΣΤΟΛΑΣ. Paulus docuit certissime, et absens vobis scripsit epistolas. Accedit tandem ingens Patrum prae aliis eminentia, ut partim una cum Apostolis ferme aetate vixerint, partim eorum familiaritate et institutione usi fuerint.

(i) Addimus nunc cautelas, quas in collatione apostolicorum cum N. T. observauimus:

I. In dictione illustranda loca attulimus, nec obscura, nec contorta. Quae enim erat haec explicatio? ubi *Cl. JO. ALBERTI in Observat. Philol. L. B. 1725.* editis ad clarissimum Pauli dictum de pietate ad omnia utili i. *Timoth. IV. 8. p. 397.* ex Artemidoro adscripsit: Ἡμίονοι πρὸς πάντα ἐπιτήδαιοι. Muli ad omnia sunt apti.

II. Doctrinae tantum fata patrum testimoniis explicuimus, ut istis obuiam iremus, qui iisdem ad tuendam opinionum nouitatem abutuntur. Qui error et in multis interpretibus, et in maiori Christianorum coetu inualuit.

III. In monitis ad disciplinam eos ritus solum respeximus, qui Christianis proprii sunt. Ita non deerant, quae ad *Aët. XIX. 31.* de Asiarchis, ex *Epistola Smyrnaeorum c. XII. p. 406.* commentaremur, sed lubentes ea transmisiimus. Phrasin Apostoli ἀναπληρῶν τὸν τόπον, *1. Cor. XIV. 16.* *Cl. BERNH. RAVPACHIVS in Decade Observat. ex Patribus Apostolicis p. 7.* ex Clemente enarrare nititur. Nos eam tentantes ex ritu Iudaeorum desumptam videbimus; quod iam in mentem venit *HOTTINGERO de usu scriptorum Ebraicorum in N. T. p. 400. apud Rhenferdium.*

§. V.

## §. V.

**P**Rimam interpretis curam sibi vocabulorum poscit scrutinium; quod in N. T. negotium non adeo fa-  
cessit nobis eum DEVS ad patres haecenus grauia sae-  
pius verba, et quasi tonitrua locutus, mellitis filii labiis,  
comiter ibi compellet homines, et nos ita ad singularum  
vorum facilius examen invitet: quarum aliae una tantum  
vice in libris f. occurrunt, (k) aliae saepius quidem legun-  
tur, non tamen ubiuis unum eundemque significatum  
retinent, (l) quem facile detegimus, modo peculiari vo-  
cis acceptione firmata, dispiciamus: an huic novas ideas  
addat, an consuetarum quasdam removeat diuinus scri-  
ptor? erutamque ita vocabuli notionem aliunde, ut nos  
ex Apostolicis, comprobemus.

(k) Vt vorum semel tantum occurrentium quasdam explicemus,  
sequentes elegimus. Id quod Paullus 1. Cor. XV. 32. dicit, se Ephesi  
cum bestiis pugnasse, multi de cruento cum feris certamine, nos de  
difficili cum hostibus veritatis pugna interpretamur, et vocis figuratum  
sensem ex S. Ignatio conficimus, cuius testimonium subinde citatum,  
non vero satis defensum adparet. Quid enim si quis opponeret:  
Ignatium saepius voce in sensu proprio uti, in *Epistola ad Trallianos*  
c. X. p. 74. τὸ εὐχομαι ΘΗΡΙΑΜΑΧΗΣΑΙ; Cur opto cum be-  
stiis pugnare? Adde *Smyrnenses de Polycarpi Martyrio* c. III. p. 369.  
Res tamen salua est. Nam constat abunde, homines DEO, eiusque ami-  
cis aduersantes, bestiarum nomine venire *Matth. III. 7. VII. 15.* Ex pro-  
fano scriptore ipse Paullus Cretenses nominat κακὰ ΘΗΡΙΑ *Tit. I.*  
**12.** ut Ignatius ΘΗΡΙΑ ΑΝΘΡΩΠΟΜΟΡΦΑ describit *ad*  
*Smyrnaeos* c. IV. p. 4. et clarius *ad Romanos* c. V. p. 86. ΘΗΡΙΑΜΑ-  
ΧΩ δεδεμένος δέκα λεοπαρδοίς, ὃ ἐστὶν ΣΤΡΑΤΙΩΤΩΝ ΤΑΓΜΑ.  
Cum bestis pugno decem Leopardis vincus, quae turma militum est.  
Haec si cum 1. Cor. XV. 32. et *Actor. XX. 19. et 29.* contuleris, emer-  
get iste, quem supra indicavimus, sensus. ΠΡΟΣΚΛΙΣΙΝ dissua-

det apostolus Timotheo valde suo *1. Ep. V. 21.* inclinationem in alteram partem; quam vocem quidam suspectam reddentes, *πρόσκλησιν* legere malunt, ignari forte, suntam esse illam ob improbo in trutina examine, taxarique ea apud Clementem, lites de auctoritate apostolorum apud Corinthios: *Η ΠΡΟΣΚΛΙΣΙΣ ἐκείνη ἦττον αἰμαρτίαν ὑμῶν προσένεγκεν. ΠΡΟΣΕΚΛΙΘΗΤΕ γὰρ ἀποστόλοις.* In ista animorum inclinatione minus a vobis peccatum est; in apostolos enim propendebatis: *c. XLVII. pag. 80. Ἔ c. XXI. pag. 40.* Christianas hortatur, ut amorem *μὴ κατὰ ΠΡΟΣΚΛΙΣΕΙΣ*, sed castissimum et aequalem intra pectus admittant. Et vocem, quam diuinus Paullus subaudit *l. c. c. L. p. 84.* supplet, Oremus ut vitam transigamus *ἐν ἀγάπῃ δίχα ΠΡΟΣΚΛΙΣΕΩΣ ΑΝΘΡΩΠΙΝΗΣ* in amore sine propensione humana. Discipulos ob imminens Seruatori supplicium despondentes animum adloquitur Iesus: *μὴ ταραχέσθω ὑμῶν ἡ καρδία μηδὲ ΔΕΙΔΙΑΤΩ* *Iob. XIV. 27.* Vtrumque de metu excutiendo ita accipimus, ut priore voce conditionem adflicti animi, posteriori eandem una cum causis huius doloris, mortis formidinem praedixerit Dominus. In hunc sensum scribunt *Smyrnenses c. IV. p. 396.* *Καὶντος ἰδὼν τὰ θηρία ΕΔΕΙΔΙΑΣΕΝ.* Quintus cum vidisset bestias, timore percussus est, et infami sacrificio fidem Christo datam violauit. Inde melius intelligimus, cur apostolus tantopere urgeat *II. Timoth. I. 7.* fidelibus non datum esse *πνεῦμα ΔΕΙΔΙΑΣ*, illos in vitae discrimine relicturum. Vtitur vocabulo Ecclesiae Smyrnenfis *l. c. c. III. p. 396.* *Γερμανικὸς ἐπεβρόννηεν ΤΗΝ ΔΕΙΔΙΑΝ αὐτῶν.* Germanicus timiditatem eorum corroboravit, quos infernalis genius ex praesenti mortis periculo ad perfidiam sollicitabat. Favent nostrae explicationi et sequentia verba *v. 8.* et similis locutio *Rom. VIII. 17.* Metus enim, qui seruitutis spiritum comitabatur, ortum debebat cultui antiquo ad legis rigorem composito, ubi videbant fideles hostias mactari cremarique a sacerdotibus: quod munus peccatorum poenas adumbrabat, mortisque recordationem spectantibus iniiciebat. Onesiphori familia Paullum *πολλάκις ΑΝΕΨΥΞΕ*, saepius recreauit. *H. Tim. I. 16.* Quam animi refectionem putet apostolus? discimus ex usu vocis apud *IGNATIUM ad Trallianos c. XII. p. 76.* *πρέπει ὑμῶν ΑΝΑΨΥΧΕΙΝ τὸν ἐπίσκοπον*, redeuntem Smyrna, mente ex communi Ecclesiae luctu satis turbata, ubi vincitum Ignatium inuiferat.

Et



Et in Epistola ad Ephesios c. II. p. 26. de Croco testatur, se in vincula coniectum eius aduentu esse recreatum, addito voto: *ὡς καὶ αὐτὸν ΑΝΑΨΥΞΕΙ* quomodo et ipsum refrigeret Pater Iesu Christi. Pauli ergo sententia haec est: se esse insigniter recreatum, quod Onesiphorus Epheso Romam accedat, suaque vincula non fastidiat. *v. Epistolam ad Ephesios interpolatam*, huc facientem c. II. p. 168. Non leuis interpretum pugna est, quale certaminis genus ΠΑΛΗ *Eph. VI. 12.* significet? Miramur illos, qui hic ne latum quidem unguem a circo recedunt; sed grauior paululum res est, quam quae tantum ex ludo repetatur. Melius, ac isti, mentem Apostoli exprimit HERMAS *libr. II. Mand. XII. §. V. p. 914.* δύναται ἐν διάβολος ΠΑΛΑΙΣΑΙ, ΚΑΤΑ ΠΑΛΑΙΣΑΙ ἔ δύναται, Potest quidem diabolus lucrari, sed vincere non potest. Egregia Pauli, quam Timotheo dedit, admonitio est, velut collatum sibi χάρισμα ΑΝΑΖΩΠΥΡΕΙΝ, *II. Ep. I. 6.* Iniusti essemus in pietatem tanti viri, si eum in fide titubantem, aut in cultu diuino remissiozem inde crederemus. Abundabat certe gratiae donis, quae tamen indefessis precibus, et iugi meditatione nouis quasi flammis alenda, et intra continuos hostium in episcopum iuuenem insultus, seruanda erant. Prorsus huc facit, quae S. CLEMENS habet in *Epistola ad Corinthios c. XXVI. p. 48.* de fidelibus locutus: ΑΝΑΖΩΠΥΡΗΣΑΤΟ ἡ πίστις αὐτῶ ἐν ἡμῖν, Excusitetur in nobis fides eius, ut indies firmitus inhaereamus promissioni diuinae. IGNATIUS quoque Ephesios sinit ΑΝΑΖΩΠΥΡΗΣΑΝΤΕΣ ἐν αἵματι τοῦ Θεοῦ, excitantes se per sanguinem DEI, eosque statim, quod opus fidei perfecte absoluant, laudat sub initium *Epistolae c. I. p. 26.* Pauli ergo verba de illis tantum valent, qui in salutis ordine iam constituti sunt. Longe aliter de iis, qui primum eum ingrediuntur, disserit *2. Timoth. II. 26.* precatus, ut miseri ΑΝΑΝΗΨΩΣΙΝ. Innuit hac voce duplicem impiorum statum, alterum, in quo degunt, mentis temulentiam, alterum, in quem excitandi, vigilantiam. Defendimus hanc notionem ex IGNATIO *ad Smyrnenses c. IX. p. 10.* "Ευλογόν ἐσιν ΑΝΑΝΗΨΑΙ καὶ εἰς Θεὸν μετανοεῖν. Conuenientissimum est euigilare, et ad Deum per poenitentiam redire. Vti ex HERMA *lib. III. Simil. VI. p. 951.* "Αν δὲ μετανοήσωσι καὶ ΑΝΑΝΗΨΩΣΙ, τότε συνιωσι, Cum poenitentiam agant, et euigilent, tunc prudentiores fiunt.

Quod Pater filium ΕΙΣΑΓΑΓΗ

B 3

εἰς

ἔἰς τὴν οἰκισμένην *Ebr. I. 7.* de promissa in gratiae oeconomiam introductione passim explicant. Nec male, si natiuitatem Seruatoris insigne huius complementum statuunt. Ibi enim supplices, quod Apostolus addit, adorabant Dominum angeli. Accedit usus locutionis apud CLEMENTEM *ad Corinthios c. XXXVIII. p. 66.* Ἡμῶς Εἰσηγάγεν ἔἰς τὸν κόσμον αὐτῶ, Deus nos introduxit in mundum suum, praeparatis prius beneficiis, quam nasceremur. Adde BARNABAM *c. V. p. 16.* et illustrem locum ex THEOPHYLACTO, nostram acceptionem confirmantem, in venerabilis BVDDEI, Praeceptoris nostri aetatem colendi, *Institut. Theol. Dogm. Lib. IV. c. II. §. XVII. p. 1060.*

Abiit Judas ἔἰς τὸν τόπον ΤΟΝ ΙΔΙΟΝ *Act. I. 25.* Agrum iniusto pretio emtum hic intelligit eruditissimus JAC. ELSNERVS, *in Obseruat. S. in Libros historicos N. T. Ultrai. 1720. editis, ad h. l. p. 362.* Sed dignior longe ager iste erat, quam qui hominem teneret, cui infernus paratus. Perspicue IGNATIUS *ad Magnesianos: ἕκαστος ἔἰς τὸν ΙΔΙΟΝ ΤΟΠΟΝ* iturus est, unus, ut poenas det, ut Judas, alter, ut gratiae praemio potiatur, ut proditoris olim in officio collegae. De Petro CLEMENS *ad Corinth. c. V. p. 01.* Επορεύθη ἔἰς τὸν ΟΦΕΙΛΟΜΕΝΟΝ ΤΟΠΟΝ ΤΗΣ ΔΟΞΗΣ. De reliquis POLYCARPVS *c. X. p. 380.* Abierunt ἔἰς τὸν ΟΦΕΙΛΟΜΕΝΟΝ αὐτῶν ΤΟΠΟΝ.

(1) Alteram classsem constituimus earum vocum, quae iterum et saepius in N. T. recurrunt. Dabimus et hic aliquam earum illustrationem ex Patribus nostris. ΠΡΟΣΚΥΝΕΙΝ cultus diuini signum faciunt diuini scriptores, ita tamen, ut quandoque ex ritu orientalium civilem venerationem hac voce indigent. Priorem, eamque in N. T. ordinariam acceptionem pro adoratione Christi hominis, immo ipsius diuinitate rectissime urgent nostrates Theologi; ex quibus vener. WOLFFIUS *in Curis Philol. in N. T. ad Matth. II. 2. p. 10.* notat par nobile Criticorum, deuotissimas Persarum preces sugillantium. Hisce opponimus CLEMENTEM *in 2. Epist. ad Corinth. c. III. p. 104.* τοῖς νεκροῖς Θεοῖς ἔδύομεν καὶ ἔ ΠΡΟΣΚΥΝΟΥΜΕΝ; mortuis diis non sacrificamus, neque illos adoramus. Adde *c. I. p. 102.* et *Smyrnaeorum Epistolam c. XII. p. 406.* ubi accusatur POLYCARPVS, quod doceat μὴ θύειν, ΜΗΔΕ ΠΡΟΣΚΥΝΕΙΝ τοῖς Θεοῖς *et pag. 412.* Ὅτι τῶ Θεῷ ΠΡΟΣΚΥΝΟΥΜΕΝ, τῶς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητάς

τάς

τοὺς καὶ μιμηταὺς τῶν Κυρίων ΑΓΑΠΩΜΕΝ ἁγίως. Filium DEI  
 adoramus, ; Martyres vero tanquam discipulos et imitatores Domini  
 merito diligimus. Quae in supplementum PETA VII ad Tom. VI.  
*Dogm. Th. p. 287. sq.* transcripsimus. Ἄνθρωπον ταλαίπωρον esse  
 eum, cum B. SCHOMERO ad Rom. VII. 24. multi statuunt, qui sub  
 seruitute legis viribus propriis sibi aliquid acquirere conatur. Commu-  
 niorem sententiam, regenitis labe congenita infirmatis, hoc nomen  
 posse tribui persuasit nobis B. HEDINGERVS ad h. l. Maxima enim  
 credentium miseria est, continuis insultibus inhabitantis peccati usque  
 ad fidei quandoque deliquium turbari. Praeclare CLEMENS  
 in 2. ad Corinth. c. XII. p. 114. de se et aliis: διὰ τὸ μὴ πιστεύειν τῇ ἐπαγγελίᾳ  
 τῶν Θεῶν ΤΑΛΑΙΠΩΡΟΙ ἐσόμεθα. Dum non credimus DEI  
 promissioni, miseri erimus. BARNABAS: ΤΑΛΑΙΠΩΡΟΙ ἔκ  
 ἐπὶ τὸν Θεὸν ἠλπισαν c. XII. p. 41. Et HERMAS lib. III. simil. I.  
 p. 919. coniungi ΔΙΨΥΧΟΥΣ καὶ ΤΑΛΑΙΠΩΡΟΥΣ ἀνθρώ-  
 πους ut Iac. IV. 9. ΔΙΨΥΧΟΙ ΤΑΛΑΙΠΩΡΗΣΑΤΕ, miseriae  
 sensu tangamini, dubii! Quam vocem de ouibus inter spinas lana priuatis  
 adhibet HERMAS lib. III. simil. VI. p. 948. λίαν ἐταλαιπώρην. Gra-  
 ues cruciatus experiebantur. Quam belle haec in diuites dicat Iacobus,  
 vide c. V. 1. ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ Matth. XIX. 27. non re-  
 generationem, sed resurrectionem interpretamur; ut ita noui coeli  
 nauaeque terrae natales diceret. Adduxit elegantem Clementis locum  
 B. GODFR. OLEARIVS in Observat. in Matthaeum p. 54. ex c. IX p. 18.  
 Νῶε κόσμῳ ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ ἐκήρυξεν. Noe nouam mundo  
 praedicauit generationem. Addimus nos, virum Apostolicum respexisse  
 verba Petri 2. Epist. II. 5. Vbi sermonem modo de iudicio extremo fe-  
 cerat; coniectantes, insimul lucem quandam addi verbis ex Matthaeo  
 citatis, ex eo, quod supplicii diem natales Martyrum christiani dixe-  
 rint: ut est in Epistola Smyrnaeorum c. XVIII. p. 412. Concedet Dominus  
 celebrantibus τὴν τῶν μαρτυρίων αὐτῶν ἡμέραν γενέθλιον. Proprius ta-  
 men huc spectare videntur Lugdunenses, qui de cinere martyrum in  
 Rhodanum proiecto apud EVSEBIUM H. E. lib. V. c. II. dicunt ὡς  
 ἀφελέσθαι αὐτῶν ΤΗΝ ΠΑΛΙΓΓΕΝΕΣΙΑΝ, quasi resurre-  
 ctionem illis adimere possent. Ad Act. XIII. 48. inter tot senten-  
 tiarum diuortia, nostram modesti proponimus. Duplex erat audito-  
 rum genus, ex fidei gradu diuersum. Alii admittebant veritatem di-  
 uinam

uinanam

uinam cum gaudio, sed non satis constantes, alii firmiores in fide persistebant. Nominat distincte Lucas ἀκρόντα τὰ ἔθνη, quae verbum Domini celebrabant, et τεταγμένους, salutis ordini adstrictissimos, qui fidei incrementum indies sumebant usque ad vitam aeternam. Πιστεύειν ita occurrit *Iob. II. 11.* Et quod τεταγμένος ideam constantiae includat, ex CLEMENTE demonstramus, qui diei et noctis inturbatum cursum ΤΕΤΑΓΜΕΝΟΝ δρώμενον *c. XX. p. 36.* dicit, adposite suos *c. XLI. p. 70.* hortatus, ut quisque ἐν τῷ ἰδίῳ ΤΑΓΜΑΤΙ maneat, ΕΠΙ ΤΟ ΑΥΤΟ congregationis locum indicare, non negamus, infimul vero unitatem animorum designat, ut *1. Cor. XIV. 23. Actor. III. 44.* Iungitur hinc voci ὁμοθυμαδὸν *Act. II. 1.* Desideravit adductae significationis exempla veter. RAPHELIVS in *notis Polybianis ad b. l. p. 301.* Dabimus ea ex apostolicis. CLEMENS *ad Corinth. c. XXXIV. p. 58.* Καὶ ἡμεῖς ἐν ἑνὶ ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΠΙ ΤΟ ΑΥΤΟ συναχθέντες τῇ συνειδήσει, ὡς ἐξ ἑνὸς σώματος βοήσωμεν. Ergo et nos locis satis diuersi, in concordia et conscientia in unum congregati, tanquam uno ore clamemus. IGNATIVS *ad Magnesianos c. VII. p. 48.* ΕΠΙ ΤΟ ΑΥΤΟ μία προσευχή, μία δέησις, ΕΙΣ ΝΟΥΣ, μία ἐλπίς. In unum congregatis, una sit oratio una deprecatio, una mens, una spes. Et paulo post: omnes in unum quasi templum concurrite, ὡς ΕΠΙ ΕΝΑ Ἰησοῦν Χριστόν. vide eundem *ad Ephesios c. V. p. 30. c. XIII. p. 36. ad Philadelphenos c. VI. p. 62. X. 64.* ΓΕΥΣΑΜΕΝΟΥΣ Θεῶ ῥῆμα *Ebr. VI. 5.* illos putat Cl. JO. ALBERTI in *Observat. Philol. ad N. T. p. 423. sq.* qui delibarunt tantum et leviter gustarunt verbum DEI. Non urgemus, quae ex visceribus textus ad confutandum errorem, cui noster ex studiis domesticae opinionis patrocinator, dici possent. Illud solum notamus, phrasin graecam non significare: primis labiis gustare. Plene enim dicit CHRYSOSTOMVS: ἀκροῖς τοῖς χείλεσιν γεύσασθαι. Sub initium *Homiliae ad Iob. V. 19.* quae prima est in *Supplemento ERICI BENZELII F.* Rem omnem conficit CLEMENS qui descripto credentium statu addit *ad Corinth. c. XXXVI. p. 62.* διὰ Χριστοῦ ἠθέλησεν ὁ δεσπότης τῆς ἀθανάτης γνώσεως ἡμᾶς γεύσασθαι, per Christum voluit nos Dominus immortalem cognitionem gustare.

## §. VI.

Quaerquam ea omnia, quae Auctores sacri de fide nobiscum differunt, humanam sapientiam longe excedunt: placuit tamen optimo Numini, humano more, ut imbecillitati consulat, nobiscum loqui; quo sensa eiusdem facilius assequamur, profanis etiam in dictione usi. (m) Suam tamen quisque diligentiam hic delusam videt, si voces explicandae veniunt, quibus iuxta religionis christianae principia singularem notionem indidit diuinissimus spiritus. (n) Ut enim non negemus, et a gentilibus facpius adhiberi vocabula, quae maxima fidei nostrae arcana exprimunt, significatu tamen magis, ac aera lupinis, distant: interim et illud fatendum est, habere DEI amantissimas voces quasdam sibi proprias, (o) quas praestat ex scriptoribus apostolicis explicare, quam antiquam de vitiosa dictione fabulam in scenam reducere.

(m) Augusta est promissio, quam fidelibus indulgentissimum Numen dedit, se velle in iis habitare, illustranda ex ritu foederis antiqui, ubi Dominus in sanctissima aedis parte suum quasi domicilium fecerat, v. *Joh. XIV. 23. 1. Petr. II. 5.* Idem de suis deastris miseri gentiles credebant, quorum verba ad loca citata adscribi solent. Addimus superbum Traiani ad Ignatium effatum: *ἡμεῖς ἐν σοὶ δοκῶμεν κατὰ νόον μὴ ἔχειν Θεός;* An igitur tibi videmur Deos in mente non habere? vide *Acta Martyri p. 358.* Haec et similia in expositione sacrae dictionis non respuenda censemus; quanquam persuasi, in Apostolicis occurrere, quae maiori iure huc trahantur. *IGNATIVS ad Philadelph. c. VII. p. 62. τὴν σάρκα ὑμῶν ὡς ναὸν Θεῶ τηρεῖτε.* Carnem vestram ut DEI templum custodite. v. Eundem *ad Ephesios c. XV. p. 36.* et *BARNABAM c. XII. toto p. 42. f.* ubi sistit *πνευματικὸν ναὸν οἰκοδομῆμενον τῷ κυρίῳ.* quae tamen ita accipienda, ut prius semper ad disciplinam V. T. respiciamus.

C

spicia-

spiciamus. Confer vener. Langium in Myfterio Christi et Christianifimi P. I. Sect. II. p. 92. f.

(n) Notionem vocis *δικαιῶν* ad loca Paulli in Epistolis ad Romanos et Galatas maxime obuia explicaturus PFOCHENIVS post CAMERARIVM ingratus prouocat ad Thucydidem, B. STOLBERGIVS ad Aeschylum. vide MOSIS SOLANI *Differt. de Stilo N. T. apud Rhenferdium p. 244.* Imo fuit, qui nostram vocem ex Aristotele illustrabat Cl. HOMBERGIVS in *Parergis S. p. 135. ad Luc. VII. 29.* Digna sunt, quae in praecipuum scriptionis huius ornamentum adferamus, *diui Lutheri* verba, ex *Commentario priori ad Galatas Tom. I. Jen. lat. fol. 413.* Habet sane ciuile ius suam iustitiam, Philosophi suam, et quicumque suam. Nos oportet hic iustitiam ad intellectum scripturae accipere, quam Apostolus plane negat esse, nisi per fidem Jesu Christi. Tutius ergo Patres excitamus. Paullus licet omnes sancti muneris vices expleffet *1. Cor. IV. 4.* nihilofecius dicit: *ἐκ ἐν τέτῳ δεδικαίωμα.* Non aliter IGNATIVS ad Leones ducendus: *ἐπὶ παρὰ τέτῳ δεδικαίωμα ad Romanos c. V. p. 86.* POLYCARPVS rogat Philippenfes, ut attendant τῷ ἀρῶσθῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐστι Χριστὸς Ἰησοῦς, quem Pater constituit nostram iustitiam *1. Cor. I. 30.* Scilicet haec doctrinae summa est: Operibus homo non iustificatur, sed fide, *Aetor. XIII. 39. Rom. III. 28. Gal. II. 16.* Illis subscribit CLEMENS: *1. Cor. XXVII. 54. ἐδὲ διὰ ἑαυτῶν δικαίμεθα, ἐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας εὐσεβείας, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως,* non per nos ipsos iustificamur, neque per nostram pietatem, sed per fidem. v. Eundem in *2. ad Corinth. c. VII. p. 108.* et IGNATIVM *ad Philadelph. c. VIII. p. 64.* Huius rei adeo ignari erant gentiles, ut *δικαιῶν* apud ipsos condemnationis iudicium maxime inuoluat. Vide B. JO. OLEARIVM *de Stilo N. T. p. 111.*

Ζῆλος apud profanos vel inuidiam, vel aemulationem, sedulam ambitionis nutricem significat: haec notio iis, quae Spiritus S. de zelo dicit, partem lucis adfundit. Maiori religione iura Zelotyparum in gente ebraea huc adduxeris; unde Paullum diuino zelo adfectum intelligimus, ut Seruatori sponso Ecclesiam castam virginem tradat. *2. Cor. XI. 2.* Indicat insuper scriptura hac voce sanctum pro veritate coelesti feruorem, hinc amore fraterno, hinc communi temperatum; ut de Christo apud Johan-

Johan-

Joannem c. II. 17. ὁ ζήλος τῶ οἰκῶ σε κατέφαγέ με. In eundem sensum IGNATIVS *ad Trallianos* c. IV. p. 72. de se ipso fatetur: ὁ ζήλος πολλοῖς μὲν εἶ φαίνεται, ἐμὲ δὲ πλέον πολεμοῖ. Zelus quidem multis non adparet, nos vero maiorem in modum impugnat; conf. Polycarpum c. VI. p. 379. Degenerantem hunc feruorem Paullus taxat, et Jacobus III. 14. πικρὸν nominat. Sequitur hosce CLEMENS c. III. p. 6. ἐκ τῆς ζήλος καὶ ἔρις immo zelum huncce fidei opponit IV. 8. f. Ac uti Paullus *Ebr.* XI. 1. f. omnia bona ex hoc virtutum fonte deducit; ita Clemens ex liuore pessima quaeque.

Ζημιῶσαι τὸν ψυχὴν; *Matth.* XVI. 26. *Marc.* VIII. 36. apud Profanos poenam capitale[m] notat. Probauit illud ex *Herodoti lib. VII. c. 37.* Cl. ELSNERVS *in Obseru. S. ad Matth. l. c.* Addimus HERMAN. *lib. III. simil. VI. p. 950.* dicentem: Ἀποκίλαι τιμωρία, οἱ μὲν ζημιέμενοι, οἱ δὲ ὑπερέμενοι. Varias sunt poenae; alii vita, alii opibus priuantur. Augent notionem sancti auctores, et locutionem pro damno animae illato accipiunt. Initium huius damni peccatum est, consequens ignis aeternus. Initium istud saepius neglectum vel ideo urgemus, ut sua constet Seruatoris argumentationi firmitas. Properat ad feras IGNATIVS *ne τὴν ψυχὴν ζημιώθῃ*, quoad animam corrumpatur, *ad Romanos* c. VI. p. 88. Et CLEMENS 2. *ad Corinth.* VII. p. 108. de eo, qui cum cultu diuino, mundi delicias coniungit, pronuntiat, quod τὴν ψυχὴν ζημιώσῃ animam perdat. Vnde etiam colligimus, phrasin esse pure graecam; modo in passiva forma κατὰ subaudias. Nequicquam igitur ad hebraismum prouocat Petrus KEVCHENIVS *in Annotatis ad Matth. XVI. 26. ex Lucae IX. 25.* id demonstraturus; ubi dicitur non τὴν ψυχὴν, sed ἑαυτὸν ἀπολέσας. Et recte. Nam ἀπολέσαι τὴν ψυχὴν in N. T. aliud quid significat. v. *Matth. X. 28.*

*Luc. XVIII. 1.* urget Seruator continuas preces, et cum eo Paullus 1. *Thess. V. 17.* ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. Quam locutionem non adeo pre-mendam, nec tam crasse adsumendam suadet IO. HENRIC. MAIVS F. *in Obseruat. S. lib. IV. p. 93. sq.* Putat enim vir eruditissimus, frequentiam et feruorem tantum in precibus innui, adducto sapientum penes Indos precum studio. Sed ita de specie tantum, oratione scilicet verbis concepta, scripturam accipimus, quae potius de genere, per-

petua mentis ad Deum elevatione, intelligenda videtur. Non aliter scribunt Apostolici. IGNATIVS *ad Polycarpum*, c. 1. p. 16. Προσευχαῖς χόλαζε ἀδιαλείπταις, precibus perpetuis vaca; siue cordis desiderio, siue suspiriis, siue ore. Et quod morem gefferit POLYCARPVS morituro commilitoni, docent *Smyrnenses* c. V. p. 398. Νύκτα καὶ ἡμέραν ἕδὲν ἕτερον ποιῶν ἢ προσευχόμενος. Die noctuque nihil aliud agens, nisi quod orabat. Confer CLEMENTEM c. II. p. 6. et IGNATIVM *ad Ephesios* c. X. p. 32.

(o) Paucula sunt, quibus utitur Spiritus Sanctus, nova vocabula. Σπλαγχνίζεσθαι suo quodam praecipuo iure huc referimus *Matth. IX. 36.* alibi. Significat animi dolorem, ex sensu miseriae alterius excitatum. Interpretes V. T. graecos excogitasse vocem, SALMASII *de Lingua Hellenistica* p. 120. ridiculus error est; quippe quam non adhibuerunt. Occurrit vero apud apostolicos. Ita de prolixo Numinis erga miseros peccatores adfectu, CLEMENS 2. *ad Corinth.* c. I. p. 102. σπλαγχνιθεὶς ἔσωσεν ἡμᾶς, Θεασάμενος ἐν ἡμῖν ἀπώλειαν, καὶ μηδεμίαν ἐλπίδα. Commotis visceribus saluavit nos, considerans in nobis perditionem, nullamque spem habere salutis, praeterquam ab ipso. Et quod de εὐσπλαγχνοῖς dicunt Petrus 1. *Ep. III. 8.* Paullus, *Ephes. IV. 32.* idem monet POLYCARPUS c. V. p. 376. ut simus περὶ πάντας εὐσπλαγχοὶ: et CLEMENS c. XXIX. p. 50. εὐσπλαγχνον πατέρας ἡμῶν praedicat. Adde c. XXIII. p. 42. IGNATIVM *ad Philadelph.* c. X. p. 64. POLYCARPVM c. VI. p. 378.

## §. VII.

EX auctoritate dicentis, rerumque dicendarum gravitate, deriuamus insignem vocum in Libris S. efficaciam, et significandi pondus; merito illis succensentes, qui, non quod pueri in faba, inuenisse sibi videntur, si dictionis sacrae emphases, ex graeculo profano, eneruare conantur. (p) Mediocrem hic ingenio, fictioni nullum locum concedimus. Quod si nobis probaretur, immensam  
fam



fam ex Patribus nostris transcriberemus farraginem, sed nunc tenue tantum spicilegium exhibemus. (q) Demonstratione in primis opus est: vocabuli notionem a diuissimo Spiritu esse ornatam, intensam, amplificatam, qua obicem ponimus molestae diligentiae; ubi multi parum memores perspicuitatis verbi diuini, latentem ubique vocum potestatem indagant. Quibus, ut ex apostolicis sapiant, hac in re modestissimis, omnino suademus. (r)

(p) Ex taedio fictarum emphasium, nonnulli criticorum in alterum extremum deflectentes, tenuiter nimis de pondere augusti eloqui sentiunt. Via media et hic tutissima erit: Ita nostrum calculum minime meretur, qui *ad Ebr. VI. 6.* pie magis ac graece, incusat impios, quod denuo Christum in crucem agant. Profligauit ad fictam verbo ἀναστροφήν grauitatem LAMB. BOS. in *Exercit. Phil. ad h. l. p. 241.* Confirmamus illud ex IGNATHII cum Traiano colloquio, in *Actis Martyris p. 360. sq.* Interrogat imperator virum sanctum, τὸν σαρῶθεντα λέγεις; Illumine dicis, qui crucifixus est? respondebat Martyr τὸν ἀναστροφώσαντα, τὴν ἐμὴν ἀμαρτίαν. Illum dico, qui meum peccatum cruci affixit. Neque tamen IO. ALBERTVM in *Obseru. Phil. ad Rom. VIII. 37. p. 314. sq.* audiendum censemus, qui ὑπερηκῶμεν ex Aristophane nude vertit: vincimus; sicque non tantum vocis significatum, sed et perceptam ex communi cum Christo victoria laetitiam imminuere videtur. Rectissime in eo id notauit Ictus ἀτλικάτατος CHRISTFR. WAECHTLERVS in *supplemento A. E. L. Tom. IX. Sect. I. p. 10. f.*

(q) Ex diuerso emphasium S. genere, nunc eas selegimus, quae vel variae vocum acceptioni, vel ritibus tum consuetis, originem debent. Quas delicias Paullus I. Timoth. V. 6. viduis, *Jacobus V. 5.* diuitibus, voce σπαταλῶν exprobrent, concinne HERMAS docet, qui pecora in pascuosis agris errantia σπαταλῶντα adpellat, *libr. III. Simil. VI. p. 945. & 48.* adde BARNABAM c. VIII. p. 24. Ἀρμαίξεν involuit intimam Christi cum Sponsa Ecclesia consensionem, 2. *Cor. XI. 2.*

Ita enim IGNATIVS *ad Eph. IV. p. 28.* de concordia musici concentus dicit, *Ἐπαίεσθαι 2. Cor. XI. 20.* animi elationem, rebus ex voto fluentibus, designat. Certe Traianus *in Martyrio Ignatii c. II. p. 356.* *ἔπαρθεὶς ἐπὶ τῇ νίκῃ*, insolescens ob victoriam audit. v. CLEMENS *c. XVI. p. 28.* *Βασανίζεσθαι in Apocalypsi IX. 5. XIV. 10.* de intensissimis doloribus occurrit. De tormentis, in quibus acruendis ingenium ferme perdebant gentiles, accipiunt *Smyrnenses*: Puer *βασανιζόμενος ὡμολόγησεν*, tormentis subditus, ubi lateret Polycarpus confessus est. *c. VI. p. 398.* Petrus *i. Ep. I. 19.* *τίμιον αἷμα*, Christi sanguinem dicit; inde forte, quod fideles maximum ei statuunt pretium. Ita quidem; sed maior adhuc causa subest: Patri nempe filii sanguis in morte profusus, pretiosus habetur. Ideo CLEMENS *τίμιον τῷ Θεῷ αἷμα* scribit, *c. VII. p. 14.* Seruator se *τὴν ζωὴν* nominat, *Job. XI. 25.* alibi. Amplificat notionem vocis IGNATIVS in omnibus ferme epistolis eum *τὸ ζῆν ἡμῶν* sistens *ad Eph. III. p. 28. ad Magnes. c. I. p. 44.* Vita scilicet non tantum in se ipso est; sed et fons nostrae vitae, immo conseruatio, et exemplar. Judas *epistolae suae v. 8.* falsos istius aevi doctores his, inter alia, verbis pingit: *ἀθετῶσι τὴν κυριότητα.* Latere in ultimo vocabulo emphasin, HERM. WITSIVS *in Meletematibus ad b. l. iam* suspicatus est. Neque sine ratione: de Seruatore enim optimo sermo est, quem verum Deum esse maximo animae damno impostores inficiabantur. Plane loquitur HERMAS *libr. II. mand. II. p. 831.* *ἀθετῶσι τὸν Θεόν.* Mysterium incarnationis omnium confessione magnum, *i. Timoth. III. 16.* IGNATIVS egregie *μυστήριον κραυγῆς*, Arcanum clamoris, dicit *ad Ephes. c. XIX. p. 38.* Emphaseos ex allusione ad ritus enatae dabimus unum alterumque specimen, in gratiam potissimum eorum, qui hic profanos tantum audiunt. Apostolus de se et collegis dicit *2. Cor. V. 20.* *ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβένομεν*; quae verba ex iure legatorum apud veteres enarrant. Habent tamen, et quae huc pertinent, apostolici, IGNATIVS praecipue; Philadelphenos rogitans, ut ad Ecclesiam Antiochenam diaconum mittant: *Εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ Θεῷ πρεσβεῖαν*, qui obeat ibi legationem Dei. *c. X. p. 64.* adde *c. XI. p. 12. ad Smyrnenses*, et POLYCARPVM *c. XIII. p. 384.* *ὃν πέμψω, πρεσβεύσοντα καὶ ὑπὲρ*

ὑπὲρ

ὑπὲρ ὑμῶν. Quem mitto, vestro nomine, legatum. Spondet Seruator libertatem suis, *Job. VIII. 32. 36.* ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. Non male ad seruorum manumissionem prouocatur. Idem habet IGNATIVS, *ad Polycarum c. IV. p. 18.* μὴ ἐράτωσαν δῆλοι ἀπὸ τῆ κοινῆ ἐλευθεροῦσθαι, Ne cupiant serui a communi, libertate donari v. *Rom. VI. 22.* et IGNATIVM *ad Romanos c. IV. p. 86.* Locutiones quoque a certaminibus et bellis desumptas non immerito in hanc classem retuleris. Vnum vero, quod notamus, illud est: phrales saepius contorta adplicatione huc trahi, cumularique earum numerum. Adhibent voces eas apostolici; sed ad ductum sacrorum amanuensium, suo loco: ita quidem, ut de bello peccatis inferendo cogitantes, pacis spiritualis non obliuiscantur. Alterum est: non satis distingui vocabula, partim aciei et armorum exercitio communia; partim ex ludis mutuata ab iis, quae a militia deducuntur. Vbi iterum meliora edocemur a Patribus. Collegit iam quasdam inde emphases Cl. BERNH. RAVPACHIVS *in Decade Obseru. IV. p. 13.* Quae nobis se offerunt, damus 2. *Cor. XI. 3.* Metuo, ne sicut serpens ἐξηπάτησεν, ἔτω φθάρη calliditate sua eos rupit; ita malis artibus cogitationibus seducat. CLEMENS 2. *Cor. cap. VIII. p. 110.* εἰάν εὐρεθῇ φθείρων, si quis in certamine delinquit; flagra caesus extra stadium. IGNATIVS *ad Romanos c. VIII. p. 88.* Princeps seculi huius capere me vult, καὶ τὴν εἰς Θεὸν μὲ γνώμην διαφθεῖραι. Apostolus *Rom. XV. 20.* se sistit φιλοτιμέμενον εὐαγγελίζεσθαι, contendentem Christi doctrinam, annunciare remotioribus gentibus, voce priore ex arte pugnandi adscita; ubi omnis ludorum adparatus dicitur φιλοτιμία. Urgebatur S. Ignatius a militibus φθάσαι τὰς φιλοτιμίας, properare ad spectacula; vide *Acta Martyrii c. IV. p. 362. V. 366.*

(r) Attendunt omnino et apostolici locutionibus singulari grauitate intensis. Ita *Hebr. XIII. 5.* εἰ μὴ σε ἐγκαταλίπω non sine emphasi dicitur. Prorsus te non deseram. Hermas inde se suosque aduersus dubitationem munit: Scimus DEI πολυσπλαγχνίαν, ὅτι εἰ μὴ σε ἐγκαταλείπη. Nec male applicat BARNABAS *c. XIII. p. 46.* εἰ μὴ ἐγκαταλίπη ἐντολαῖς Κυρίου. Ne relinquant praeepta Domini.

Luc.

*Luc. II. 30.* Simeon Seruatorem ulnis exceptum, τὸ σωτήριον dicit. Nos non latent, quae ex phrasi ebraea ad vocis explicationem adferri possent. Placet tamen maxime CLEMENTIS effatum *ad Corinthios c. XXXVI. p. 62.* Haec est via, in qua τὸ σωτήριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν εὕρομεν. Vterque enim, et Simeon, et Clemens, non tantum Christi personam in oculis habebant, sed omnem in simul salutis ab eo partae adparatum corde percipiebant.

## §. VIII.

**I**N illustratione doctrinae N. T. ex apostolicis ut theologicos fontes nunc non haurire licet; ita philologica consideratione contenti, unam eandemque methodum sanctis fuisse scriptoribus, ac nostris Patribus, demonstrabimus. (s) Non tantum in veritate diuina proponenda, sed et illic, ubi ad defensionem huius ventum erat, nihil contortum, nihil longe quaesitum videas. Quasi nihil, nisi Seruatorem scirent, loquuntur, et eum in finem vatum ex antiquo foedere testimonia urgent, (t) ipsumque typorum quasi tegmine inuolutum, suis adorandum exhibent. (u)

(s) Nullus facilius docendi modus eo iudicatur, ubi argumentum nostrum similibus sensus incurrentibus declaramus. Vtitur hoc ipso Seruator noster, eiusque vestigia legunt hic apostolici, Hermas praesertim; cuius Liber III. similitudines X. exhibet, satis quandoque concinnas. Ita quae Seruator profert de diuite epulone, *Luc. XVI. 19. sq.* "Ἀνδρῶπιος δὲ τις ἦν πλέσιος καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, explicari possunt, ex *Similit. VI. p. 945. sq.* ubi HERMAS adducit νεανίσκον ἐνδεδυμένον σύνθεσιν ἐνδυμάτων προκάμων. Familiaris est Domino de fidelibus seruis comparatio, *Matth. XXIV. 48. sq.* quam etiam ab HERMA, saepius adhibitam legimus, *Simil. V. p. 933. sq.* Illic seruum introducit, dapibus ex heri mensa donatum, in secuturae libertatis signum. Vnde lucem adfundimus *Luc. XII. 37. et Job, XIII. 14. XV. 14. 15.* Non enim

enim

enim amplius discipuli, Saluatoris serui erant, sed amici, ex quo illis in coena ministrauerat. Interim non diffitemur, hallucinari interdum optimum Hermam in similitudinibus, uti in duabus ultimis, quas ad modum reuelationum diuo Ioanni factarum, infelici imitatione adornasse videtur. Abstinebant hac methodo apostoli, et litterarum commercio doctrinam Christi propagabant, quos statim apostolici sequebantur. Non exigua est, quam huius rei causam adfert, STEPH. LE MOINE *ad Polycarp. Ep. p. 5.* Scilicet epistolis hisce, Iudaeorum calumniam, suis sociis de Christo et eius discipulis per scriptam, fuisse refutatam. Cur autem gentiles hoc quoque modo docerent, inde non patet, forte adhuc altera causa subest: scenae iam adplicata erat parabolica methodus, nimis ergo profana, quam ad res sanctissimas adhiberent doctores christiani.

(t) Vt apostolici lectioni prophetarum vacarent, et ecclesiae status, et officii ratio postulabant. Collegit aliquot eorum dicta Cl. RAVPACHIVS *Obseru. X. p. 26. sq. ad 2. Petr. I. 19.* Plura tamen adhuc superesse, ipse fatetur. Nobis lubet adferre POLYCARPI verba, de scopo prophetarum egregie commentantis: *οἱ προφῆται οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν τοῦ Κυρίου ὑμῶν.* Hinc IGNATIVS propheta euangelium adnunciasse, perhibet *ad Philadelph. c. V. p. 60. IX. 64.* Propius ad institutum nostrum accedit ea Patrum diligentia, ubi signa Seruatoris menti infigentes, eum facile in V. T. inueniunt. Fundamenti loco ponimus *Luc. XXIV. 21. 44.* ubi Christus Mosen, Prophetas, et Psalmos de se testimonium tulisse docet; quod ad ductum N. T. inde eruendum est. Ita CLEMENS Christum *in Ps. XXXIV.* loqui statuit, *c. XXII. p. 34.* Vnde insigniter confirmatur Petri argumentatio, qui ad patientiam hortatus, Seruatoris afflictissimi continentiam proponit, adducto mox ex *Ps. c.* testimonio *1. Petr. II. 12. III. 10.* Prorsus ad mentem diuinissimi Spiritus BARNABAS *c. IX. p. 39.* ea, quae Iesaias de Cyro dicit *XLV. 1. f.* Seruatori attribuit. Longe enim augustiora sunt praedicata, quam quae in regem tantum cadant, et nihil praeter dimissionem ex captiuitate significant. Barnabam ita magis hic audiendum censemus, ac GVSSETIVM, Cyro ea ad commodantem *in Comment. de L. H. p. 717.*

D

(u)

(u) Vsum Patrum Apostolicorum in explicatione typorum demonstrantes, id ceu euictum supponimus; dari adhuc typos in antiquo foedere, quorum omnem illustrationem in N. T. non legimus. Cui hoc postulatum non admittendum videtur, Paulo tamen credat, necesse est, id adfirmanti, *Ebr. IX. 5.* vide haec ulterius comprobantem in *Institut. Hermen. S. lib. II. c. IV. §. XII. p. 173.* vener. RAMBACHIVM nostrum, cum Ienae studiis sacris operaremur, praeceptorem meritissimum. Ea, quam modo citauimus, Epistola ad Ebraeos, repleta est illustri typorum doctrina. Describitur maxime Christus, ut *πιστός καὶ μέγας ἱερεὺς τελειότερας σκηνῆς c. II. 17. IX. 11. X. 21.* ulteriori typi inquisitione scrutantibus relicta. Scilicet pro ea, qua erat fide, Iesus, non tantum ipse intravit in Sanctum Sanctorum, sed et ad seclis suis viam eo parauit. Quam longe ergo antecellat Sacerdotes antiqui foederis, testatur IGNATIVS, *ad Philadelph. c. IX. p. 64.* *Κρεῖσσον ὁ ἀρχιερεὺς ὁ πεπισθυμένος τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Αὐτὸς ἂν θύρα τῆ πατρὸς, δι ἧς εἰσέρχονται ἀπόστολοι καὶ ἡ ἐκκλησία.* Praestat summus Sacerdos, cui credita sunt Sancta Sanctorum. Iple est ianua Patris, per quem ingrediuntur apostoli et ecclesia. Adde insignem locum CLEMENTIS *ad Corinth. c. XXXVI. p. 63.* Urget Paullus *Ebr. IV. 14.* *διάκρισιν καλῆ καὶ κακῆ,* ut ea gauderent discipuli Christi, cuius *ὀφθαλμοῖς πάντα τετραχηλισμένα c. IV. 13.* Utrobique ad typum alludit apostolus: detegimus eum ex CLEMENTIS effato *c. XLI. p. 70.* *μωμοσκοπηθὲν τὸ προσφερόμενον διὰ τῆ ἀρχιερέως,* diligenter prius inspicitur sacrificium a summo Sacerdote. Iosephum ut typum Sernatoris egregie fistit in fatis, quae et ipse Christus, et sui experti sunt, CAMPEG. VITRINGA *Observ. S. lib. VI. c. XX. p. 489.* Sed pertinent huc imprimis et filii Iosephi, quorum natu minor electionem gentilium in populum peculii docet, maior Iudaeorum reiectionem. Utitur equidem Paullus in demonstratione huius mutationis exemplo Esau, et Iacobi *Rom. IX. 10. f.* Apposite tamen Manassi et Ephraimo iisdem verbis fere rem omnem adplicat BARNABAS *c. X. p. 36.* Et ita de aeterna reprobatione sermonem minime esse docet. Habet l. c. et alibi Barnabas multa, quae ad explicandos typos faciunt, indeque dignus est cui data passim humanae imbecillitatis specimina condonemus.

§. IX.

## §. IX.

**A**D considerationem doctrinae historicam, omnino pertinent ea, quae inter hostes experta est, duriora quandoque fata. Ipse enim Servator, et qui eum sequebantur, discipuli adfirmabant, fore, ut insidiis impostorum sancta peteretur veritas, id agentium, uti corruptelis eandem maculent. (x) Internae huic aduersariorum astutiae succurrebat externa hostium malitia, qui votis, aut potius caedibus suis id unice quaerebant, ut vel memoriam Christianorum delerent. (y) Sollicite ergo monebant apostolici fideles, ne aut ad errores, aut ad abnegationem deflecterent. (z)

(x) Periculum ecclesiae imminere a falsis doctoribus, Servator graui oratione testatur *Matth. XXIV. 24. VII. 15.* Lupos eosdem nominat, ut Paullus, *Act. XX. 29.* dicit: *ἔισελεύσονται λύκοι.* Impletum illud esse IGNATII etiam aetate, euincunt verba eius *ad Philadelph. c. II. p. 58.* *πόλλοι λύκοι αἰχμαλωτίζουσιν τὰς Θεοδρίμους.* Multi lupi eos captiuos ducunt, qui in Dei stadio currunt. Ita et canum nomine veniunt apostolo *Phil. III. 2.* *βλέπετε τὰς κύναις:* uti IGNATIVS *ad Ephesios. c. VII. p. 28.* *ἔσιν κύνες λυσσῶντες.* Sunt canes rapidi. Pessimos homines ex capitali errore in duas sectas dispescimus. Prior Christum Deum plane negabat. Turbatum iri hisce monstris sacrum coetum, praedixit Petrus, *2. Ep. II. 1.* *ἔσονται ψευδοδιδάσκαλοι δεσπότην ἀρνέμενοι.* Quam vere hoc dictum sit, probat IGNATIVS, *ad Smyrnenses c. V. p. 6.* *Χριστὸν τινες ἀγνοῶντες ἀρνέονται, μᾶλλον δὲ ἠρνήθησαν ἀπ' αὐτῶ.* Christum quidam ignorantes abnegant; magis autem abnegati ab ipso. Quantum hoc sit facinus, vel inde videmus, quod Johannes *2. Ep. v. 9.* scribat, qui in doctrina de Christo non manet, *Θεὸν ἔκ' ἔχει.* Non tamen hac comminatione impediuit, quo minus multi hic cum animae damno errarent.

D 2

Testis

Testis est IGNATIVS: "Ἄθεοι λέγουσι τὸ δοκεῖν πεπονθέναι αὐτόν. Athei dicunt, eum secundum adparentiam esse passum, *ad Trallianos c. X. p. 74.* Cur tam absurdae opinioni multi inhaeserint? rogitas. Respondemus: ex peruerso id fluere systemate impostorum, ita constructo, ut hominem ab omni culpa et metu liberaret. Princeps quasi eorum doctrina erat, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν ἐκ ἔσιν, *1. Cor. XV. 12.* Bene ita coniungit inficientes Christi in carnem adventum POLYCARPVS c. VII. p. 378. l. cum iis, qui dicebant μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρείσιν εἶναι. Posterior eorum secta erat, qui Christum confessi, rituum legem simul nimium quantum urgebant. Hos imprimis sibi refutandos putavit diuus Paullus, *in Epistola ad Galatas* praecipue, qui parum a Iudæorum obsoletis institutis aberant, *v. II. 14.* τὰ ἔθνη ἀναγκάζεις ἰσδαίξεν. Altas radices egerat opinio in multorum animis: unde eam euellere conabantur Apostolici. IGNATIVS non vetur scribere *ad Magnes. c. X. p. 52.* ἄτοπόν ἐστιν χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν καὶ ἰσδαίξεν. Absurdum est Christum Jesum vocare et iudaeizare. Excusatius aliquos hic errasse, facile largimur: erant tamen et ex Synagoga Satanae, qui falso se iudaeos dicerent, *Apor. II. 9.* Inde non licebat fidelibus παρὰ ἀκροβύσσου ΙΟΥΔΑΙΣΜΟΝ ἀκίβεν, IGNATIVS *ad Philadelph. c. VI. p. 60.* Unum illud, in quo homines miseri conueniebant, crucis odium erat, ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ Paulo dicti *Philipp. III. 18.* Imo iisdem Philippensibus POLYCARPVS scribit: ὅς ἀν μὴ ὁμολογῇ ΤΟ ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ ΤΟΥ ΣΤΑΥΡΟΥ, ἐκ τῆς διαβόλου ἐστὶ. Qui non confitetur crucis supplicium, ex diabolo est. c. VII. p. 378.

Causas itaque praegnantas habebant Apostoli, ut futuros Ecclesiae doctores de custodiendo purae doctrinae deposito in pura conscientia adhortarentur. Fecit illud Paullus in binis ad Timotheum, et una ad Titum epistolis. Dolendum tamen, semper fuisse, qui, monitis profus neglectis, contrariam viam inibant. Ex Apostolicorum querelis unam addimus IGNATII *ad Smyrnenses c. VI. p. 8.* καταμάθετε τὰς ΕΤΕΡΟΔΟΞΟΥΝΤΑΣ εἰς τὴν χάριν Ἰησοῦ Χριστοῦ - ἢ μέλει αὐτοῖς - περὶ πεινῶντος καὶ διψῶντος. Considerate eos, qui alienam opinionem

tuentur,



tuentur contra gratiam Jesu Christi, Non cura ipsis de esuriente vel sitiente.

(y) Quam tempestiue Apostoli suos de instante periculo monuerint, uno tantum exemplo *ex Act. XIV. 22.* illustramus. Per multas afflictiones intrandum esse in regnum coelorum auditoribus, adfirmat Paullus; verissime ita de Antiochenis praedixit, qui ΤΟΥΣ ΠΑΛΑΙΧΕΙΜΩΝΑΣ, armatas quasi hiemes cum doctore in vexatione domitiana experti sunt. Vide *IGNATII Martyrium sub initium p. 356.* Christi eiusque discipulorum exempla contemplati, non facile mouebantur. Succurrit CLEMENTIS locus *c. V. p. 10.* Παῦλος ΕΠΤΑΚΙΣ δεσμὰ φορέσας. Paullus septies in vincula coniectus. Vnde conciliandus Lucas, carceris tantum Philippici memor, *Acton. XVI. 23. f. cum 2. Cor. XI. 23.* ubi Apostolus ΕΝ ΦΥΛΑΚΑΙΣ περισσοτέρως se fuisse adserit; sed vix eo, ac Philippis, successu. Malis hisce tentandam maxime doctorum fidem, saepius Discipulis significat Seruator, uti *Matth. X. 25.* si Domino diaboli nomen imposuerunt, quanto magis domesticis id facient? Non inuenimus in alio plenius complementum, ac in *IGNATIO.* Ita eum adloquitur Traianus: ΤΙΣ ΕΙ ΚΑΚΟΔΑΙΜΩΝ. Quis es cacodaemon? *vide Acta Martyrii c. II. p. 358.*

(z) Gignit quoque illustrationem multorum locorum ea meditatio, qua inquirimus, an forte desierit veritatis diuinae castissimus amor. Contendamus, quaeso, Ecclesiae Philadelphinae statum *Apo. III. 7-13.* descriptum, cum iis, quae *IGNATIUS* profert. Quem non moueret illustris Seruatoris pollicitatio? Ποιήσω αὐτὸν ΣΤΥΛΟΝ ἐν τῷ ναῶ τῆ Θεῆ, καὶ γράψω ἐπ' αὐτὸν ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΜΟΥ τὸ καινόν. Quam tamen neglexisse videntur miseri, de quibus *c. VI. p. 60.* loquitur: Ἔτοι ἐμοὶ ΣΤΗΛΑΙ εἰσὶν καὶ τάφοι τῶν νεκρῶν, ἐφ' οἷς γέγραπται μόνον ΟΝΟΜΑΤΑ ἀνθρώπων. Isti mihi columnae sepulchrales sunt, et mortuorum monumenta, quibus hominum nomina tantum inscripta.

## §. X.

**N**ihil tamen iniqua hostium odia aduersus coetum sacrum, nisi illud, effecerunt, ut firmiter insisteret diuinae veritati, eoque auxilio uteretur, quod iniuste afflictis pollicetur Seruator. Praeerant tum ecclesiae apostolici, qui, postquam monitis, precibus, lacrumis, suos ad constantiam excitauerant, tandem et sanguine, eorum in Christum fidem urgebant: immenso iam ante supplicium gaudio adfecti, cum viderent, diligi passim salutarem doctrinam, ornarique vitae integritate, (a) doctoribus tantopere commendata. (b)

(a) Non declinasse Ecclesiam primitiuam a veritate diuina, ex patribus apostolicis strictim ita docemus. Comparamus Paulli laudes, quas coetibus sacris dedit, cum iis, quibus eos ornarunt nostri. Sic Romanos nominat ΑΓΑΠΗΤΟΥΣ Θεῶ κλητῶς ἁγίως. Rom. I. 7. Plures ibi aetate IGNATII optimos maiores sequebantur; hinc dicit Ecclesiam sub initium datae ad eam epistolae ΗΓΑΠΗΜΕΝΗΝ καὶ πεφωτισμένην. p. 80. De *Philippensibus* Paullus sperat, fore, ut, qui in illis auspiciatus esset, fidei opus, ad finem perducatur, Dominus c. I. 6. Et ita res se et in posteris habebat. POLYCARPVS testatur, ὅτι ἡ Βεβαία τῆς πίστεως ὑμῶν ῥίζα ἐξ ἀρχαίων καταγελλομένη χρόνων ΜΕΧΡΙ ΝΥΝ διαμένει. Quod firmat fidei vestrae radix a principio adnuntiata usque nunc permaneat.

(b) Vestigia legebant apostolorum nostri patres in doctrina, in vita et in afflictionibus. Primum ii, qui de sanctiore disciplina praecipunt, secundum nos aliquoties euicimus; restat nunc tertium. ΚΑΥΧΩΜΕΘΑ ἐν ταῖς θλίψεσιν Rom. V. 3. Paullus de se et Collegis fatetur: Conueniunt praeclare, quae de Ignatio in actis Martyrii legimus ΜΕΤ ΕΥΦΡΟΣΥΝΗΣ περιθέμεν τὰ δέσμα. Cum gaudio uinctus

vinculus DEO gratias egit *c. II. p. 360.* et ad Ephesios *c. XI. p. 34.* catenas suas πνευματικῆς μαρτυρίας adpellat. Animo obuersantur Ioannes et Petrus inter iubila virgis caesi, ὅτι ΚΑΤΗΞΙΩΘΗΣΑΝ ΑΤΙΜΑΘΗΝΑΙ. *Actor. V. 40. 41.* Eandem in patiendo mentem produnt POLYCARPI rogo iam impositi preces: εὐλογῶ σε, ὅτι ΗΞΙΩΣΑΣ με τῆ λαβεῖν μέρος τῶν μαρτύρων σου. Glorifico te, quoniam me dignatus es, partem capere Martyrum. *V. Smyrneses c. XIV. p. 408.* Nec aliter IGNATIVS in faucibus fere leonum dicit: εὐχαριστῶ σε, ὅτι με ΤΙΜΗΣΑΙ ΚΑΤΗΞΙΩΣΑΣ. Gratias ago tibi, Domine, quod me honorare dignatus sis perfecta erga te caritate. Vide Acta Martyrii *c. II. p. 360.*

(b) Haec quoque observatio ansam nobis dabit illustrandi quaedam N. T. loca, quae ad doctrinae fata pertinent. Erant inter apostolorum auditores, qui monitis non satis attendentes, grauissimam censuram merebantur; quae plures iterum ad intensius fidei exercitium excitati sunt. Sumamus Corinthios! qui ob hominis incestuosi facerrimum facinus ne frontem quidem contrahebant; ΟΥΚ ΕΠΕΝΘΗΣΑΤΕ *1. Cor. 5. 2.* Quo deinde dolore ex indignationis divinae sensu sint adfecti, ipse docet apostolus *2. Ep. II. 4 sq. VII. 8 sq.* Et de posteris fatetur CLEMENS: ἐπὶ τοῖς παραπτώμασι τοῖς πλησίον ΕΠΕΝΘΕΙΤΕ Proximorum delicta lugebatis; illorum defectus vestros censebatis *c. II. p. 6.* Praestantius nihil dici potest, ac illud Pauli de Ephesiis: ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ΣΥΝΟΙΚΟΔΟΜΕΙΣ ΘΕΟῦ εἰς κατοικητήριον ΤΟΥ ΘΕΟΥ ἐν πνεύματι. *c. II. 22.* Sed aedificium hoc quasi destructum esse, relicto primo amoris fervore, Servator ipse in litteris ad episcopum adserit *Apos. II. 4. sq.* addita ad reditum inuitatione, quae fructu non caruit. Nam de Ephesiis IGNATIVS *c. IX. p. 32.* Ητοιμασμένοι ΕΙΣ ΟΙΚΟΔΟΜΗΝ ΘΕΟΥ πατρὸς ἀναφερόμενοι εἰς τὰ ὕψη διὰ τῆς μηχανῆς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃ ἐστὶν σταυρὸς, χοινῶ χρώμενοι ΤΩ ΠΝΕΥΜΑΤΙ τῶ ἁγίῳ κ. τ. λ. Praeparati estis in DEI Patris aedificium; sublatis in alta per machinam Iesu Christi, quae est crux, Spiritu S. ut norma usi. Pertinent huc Ecclesiae, quae, licet rarius in S. S. adducantur, magna tamen apostolicorum aetate in fama erant, Demonstramus inde, Christia-

nis in patiendo constantiam non defuisse. Ita Puteolis quosdam fuisse, qui Christo nomen dederant, *ex Actor. XXVIII. 13.* constat; quorum IGNATIO grata erat et recordatio et propago. Ille enim, visis e nauui Puteolis, *μακαρίσας ΤΗΝ ΑΔΕΛΦΩΝ ΑΓΑΠΗΝ*, accessu procella impeditus *in Actis Martyr. c. IV. p. 364.*

## §. XI.

**I**N disciplina tandem primitiuae Ecclesiae illustranda, optimo iure ad Apostolicos prouocamus, qui instituta huius inde a Christo et illius discipulis repetenda docent; (c) illiusque sanctitatem cum moribus suae aetatis contendentes, omnino causas habebant fatis graues, cur antistites (d) ad circumspectam cultus diuini curam excitarent, omnesque admonerent, ne gloriosam nominis christiani famam turpi vita macularent.

(c) Vt et hic locorum aliquot expositionem tentemus, occurrit *ἡμέρα ΚΥΡΙΑΚΗ*, in *Apoc. I. 10.* Dominicam tantum a facta per dominum reuelatione dici, quidam credunt: nos a sollemni cultu Christo hac die exhibito. Sane IGNATIUS eandem Sabbatho opponit, *ad Magnes. c. IX. p. 50.* *Μημέτι ΣΑΒΒΑΤΙΖΟΝΤΕΣ*, ἀλλὰ κατὰ ΚΥΡΙΑΚΗΝ ζῶντων ζῶντες. Non amplius Sabbathum colentes, sed iuxta dominicam viuentes, *confer interpolatam Epist. ad Tral-lianos c. IX. p. 256.* Neque spontaneam huius diei esse celebrationem, vel ipsum nomen euincit. Κυριακή ἡμέρα significare potest, aut diem a Domino institutam, ut ΚΥΡΙΑΚΟΝ δεῖπνον ab institutione dicitur, *1. Cor. XI. 20.* vel Domini causa institutam. Vltimam notionem confirmat BARNABAS, qui sacra Christianorum statim hoc die ut ubique frequentia describit *c. XI. p. 41.* διὸ ΑΓΟΜΕΝ τὴν ἡμέραν τὴν ὀγδοὴν. Ideo octauum diem celebramus. Paullus in Epistolis suis, ad Timotheum praecipue, ita personarum mentionem iniicit, ut monendos alios, alios vitandos suadeat *1. Timoth. I. 20. VI. 3. 2. Ep. I. 4. f.* Vbi non incongrue credimus, fuisse Episcopis codicillos, quibus

bus

bus auditorum nomina inscriberent. Opinionem nostram, leuem tantum coniecturam esse, prohibet IGNATII testimonium *ad Polycarpum c. IV. p. 18. scribentis: ΕΞ ΟΝΟΜΑΤΟΣ πάντας ζήτες.* Qui ritus diptychis ecclesiae postea originem dedisse videtur.

(d) Insignis erat Antistitum in prima ecclesia auctoritas. Ita enim Paullus dicit. Qui bene praesunt, διπλῆς ΤΙΜΗΣ ἀξιόθωσαν, 1. *Tim. V. 17.* maxime, qui laborant, in sermone et doctrina. Non erat, qui partem huius honoris, ex sermonis ordine, ad sustentationem referunt. Sic TIMAN occurrit *Marc. VII. 10.* Altera vero pars, eaque potior, obsequium flagitat senioribus praestandum. IGNATIVS *ad Smyrnenses c. IX. p. 10.* Ο ΤΙΜΩΝ ἐπίσκοπον ὑπὸ Θεῶ ΤΕΤΙΜΗΤΑΙ. Vnde et intelligimus, cur addat Paullus ΤΟΥΣ ΚΟΠΙΩΝΤΕΣ ἐν λόγῳ. Alii enim erant Antistites, qui ordinis curam in ecclesia gerebant, alii, qui diuinam veritatem proponebant. Distinguit Martyr in omnibus fere epistolis, Episcopos, Presbyteros, Diaconos; egregie tamen addit *ad Polycarpum c. VI. p. 18.* ΣΥΓΚΟΠΙΑΤΕ ἀλλήλοις. Iusto equidem liberalior, in laude, multis videtur, qua Praefules ornat IGNATIVS; et an plane breuiores litteras scripserit? ex hac ratione addubitat vener. HEVMANNVS in *Bibl. Brem. Cl. IV. fasc. V. p. 945.* Excitationis causa forte ita scripsit Vir Sanctus. Nam licet antistitum munus honorificum putaret, se tamen ubique ΕΣΧΑΤΟΝ τῶν πιστῶν dicebat, taciteque ex officii splendore elatos ad animi demissionem reuocabat,

Peculiari amore prosequerantur apostoli illos, qui primi omnium Christo nomen alicubi dederant. Discimus hoc *ex Rom. XV. 5.* et 1. *Cor. XVI. 15.* Vbi ΑΠΑΡΧΗ τῆς Ἀχαΐας occurrit. Quid prolixissimo adfectui originem dederit? docet CLEMENS *c. XLII. p. 70.* Per regiones et urbes verbum praedicantes, καθίστανον ΤΑΣ ΑΠΑΡΧΑΣ ΕΙΣ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥΣ καὶ διακόνους, primitias eorum Episcopos et Diaconos constituerunt,

E

§. XII.

## §. XII.

**N**Ec ea quoque disciplina, quam in ciuili vita obseruabant fideles olim, indigna est interpretis attentione: saltim infamis inde calumnia facile confutatur, ac si Christiani fuissent homines omnibus molesti, magistratui inprimis graues. (e) Cum potius res suas pacate ordinateque gererent; probe gnari, in iustis principum mandatis sibi tantum obsequii gloriam esse relictam. (f)

(e) Mirum est, in hac calumniandi proteruia consensisse diuersissimos homines, gentiles et Iudaeos. Iam in Christo ipso malitiae specimina dabant; quem hi ut turbatorem publicae quietis, illi ut impulsorem assidue tumultuantium adensabant. Necessaria itaque opera fungebatur diuus Paullus, ubi *in Epistola ad Romanos c. XIII. 1. sq.* omnem doctrinam, de praestanda magistratui obedientia, luculenter exposuit: cum in ea urbe Christiani saepius rebellionis rei iudicarentur. Praeclare scribit: ὑποτάσσεθε ἐξουσίαις ὑπὸ τῆ Θεῶ τεταγμέναις. Quod cum facerent Christiani, qua, quaeso, fronte Traianus ad IGNATIVM dicit: σπυδάσεις τὰς ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ἡμετέρας ὑπερβαίνεν, *in Actis Martyri. c. II. p. 358.* Tutius hic Polycarpo credimus, ac corrupto per obtrectatores principi. Ita vero de Christianis ad praetorem iste: δεδιδάγμεθα ΕΞΟΥΣΙΑΙΣ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΤΕΤΑΓΜΕΝΑΙΣ τιμὴν ἀπονέμεν. Edocti sumus potestatibus a DEO ordinatis honorem dare. *Smyrnenses c. X. p. 404.* Spectat huc Barnabae monitum: ΥΠΟΤΑΓΗΣΗ Κυρίοις, ὡς τύποις ΘΕΟΥ *c. XIII. 47.*

(f) Vt tranquillitati studerent Christiani, duo maxime respiciebant: unum erat, ut tuos sollicite monerent, ne qua ratione officia superioribus debita detrectent. Et cum seruos saepe libertatis pruritus sollicitaret, conatus eorum blandissima cohortatione reprimebant. Vnde in-

in-

intelligimus, Petrum et Paullum istud argumentum urgentes *1. Petr. II. 16. sq. Eph. VI. 5. 1. Tim. VI. 1. 2.* ΔΟΥΛΟΙ, ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ βλασφημηθῆται, δελευέτωσαν. Sequitur hosce IGNATIVS *ad Polycarpum c. IV. p. 18.* ΔΟΥΛΟΙ εἰς ΔΟΞΑΝ ΘΕΟΥ ΔΟΥΛΕΥΕΤΩΣΑΝ. Serui ad DEI gloriam seruiant. Alterum erat, ut lites, sicubi inter suos oborirentur, ipsi componerent. Riturum hunc respicit *Iacob. II. 1. sq.* Vbi diuites ultra sortem honorari, et pauperes deprimi, in conuentibus vetat. Rem clare exponit Polycarpus, *c. VI. p. 278.* Presbyteros hortatus: Ἀπεχόμενοι προσωποληψίας ΚΡΙΣΕΩΣ ΑΔΙΚΟΥ. Abstinetes a respectu personarum, et iniusto iudicio. Quae si comparamus cum graui oratione, qua Paullus Corinthios *1. Ep. VI. 1. sq.* foro gentilium interdicit, omne negotium praeclare illustant; immo docent, abstinuisse Christianos, si non plane litibus, tamen discussione ethnicorum iudicium. Finimus verbis GVIL. BVDAEI, *lib. I. pag. 7. de transitu Hellenismi ad Christianismum,* ita ingemiscens: Sanctiorum aetatum disciplinam et ritus, ut commentitios iam, et fabulares commemoramus!



EX PATRIBUS ANTONIIS  
[Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



Coll. diss. A.5, misc. 39